1691

DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LUCÆ ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM, DIE JOVIS XIV. NOVEMBRIS MDCCXX.

M. GABRIEL ANTONIO JACQUES, DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An humorum præstantior, Semen?



MIRA corporis humani compages. E ſolidis partibus illud tum & humoribus conflatum autopſiâ conſtat. Solidorum elementa fibræ ſimplices. Harum ubi plures ſtrictiùs ſimul compinguntur oſſium materiem & formam præbent. Modò fibræ laxiori texturâ ſibi invicem connexæ nervos, tendines, muſculos, membranas; & ex his etiam vaſa non unius generis humores continentia. Sicuti verò partes ſolidæ temperie, conformatione diſpares, ità etiam varia ſubeunt officia; diverſiſque functionibus inſerviunt; unde quædam præ aliis primas tenent & ideò nobiles audiunt. Pari modo humorum forma non eadem, nec idem uſus: non omnium ergo par dignitas & laus. Natura quoſdam è corpore pellit inutiles tam ad individui conſervationem, quàm ſpeciei propagationem: mera excrementa. At alios ſedulò elaborat humores natura ſibi neceſſarios, quos & fovet. Hos inter omnes, ſemen primum jure meritò vindicat locum.

QUI majorem paſſus eſt elaborationem, humor ille perfectior cenſeri debet. A ſcopo quem natura ſibi proponit, ab operandi modo, à fine propter quem operatur cujuſvis humoris excellentia eſt deſumenda. Non à particularum humores conſtituentium tenuitate, proinde major præſtantia. Perfectum hunc humorem crede qui debitam ſortitus conſiſtentiam aptus eſt naturæ intentionibus apprimè ut inſerviat: alioquin longè tenuior quàm par eſt factus humor ſecernitur, & foras amandatur excrementi formâ: exemplo ſint inſenſilis perſpiratio, ſudor, urina. A functionum ergo præſtantiâ; à partium humores conficientium nobilitate, eorumdem perfectio, præcellentia. Quo magis perfectæ naturæ opus eſt liquor aliquis, eò cæteris antecellit humani corporis humoribus.

SEMEN virile, τὸ σπέρμα Græcis, humor albicans, craſſiuſculus, viſcidus, aliquantulùm ſpumoſus, ad prolis generationem deſtinatus à natura, in teſtibus elaboratus, in veſiculis ſeu receptaculis ſeminalibus fovendus & ad uſum conſervandus. Hujus ortum ab aliarum ſecretionum perfectione pendere nullus inficias ibit diligens naturæ ſcrutator. Non teſtium tantùm, ſed & omnium corporis partium commune opus eſt. Inchoari nequit niſi priùs aliis omnibus elaboratis humoribus, niſi priùs explicatis quæ per annos expectabant perfectionem ſuam teſticulis: ergo naturæ perfectioris opus. Nullus humor tantâ tarditate gignitur. Verbo dicam, ſemen ultima naturæ ſecretio.

EX unâ ſcilicet quâcumquè parte organicâ plurimæ ſunt partes ſimilares nutriendo idoneæ, quas ipſamet organa in circuitum ſanguinis ex renitentiâ repellunt. Partes iſtæ ſimilares quem ab organo characterem acceperunt, id eſt, certam quandam ſoliditatem, molem, conſiſtentiamve, ſervant; atque præ mole quam ſemper retinent, cum humoribus excrementitiis tenuioribus non ſecedunt. At eædem aliarum partium nutritioni non inſervientes ad teſtes amandantur hominem in his ſub ovi ſpecie aut vermis larvâ incluſum nutrituræ ſunt. Semen igitur propriè ſic nobis deſcribendum venit: prima nempè embrionis nutritio ex omnibus corporis partibus præparata, juvante teſtium oſcillo inter embrionis pulſantes villos propulſa, applicationem potiùs quàm præparationem aliquam quæſitura, tandemque omnium corporis partium communi niſu in uterum coitûs tempore tanquam homuncionis vehiculum, lac & vinculum, immiſſa.

QUANTO vita morte præſtat, tantò humor ille originem unde ſuam homo repetit nobilior illo quô nutritur corpus. Quotidiè ſuccus homini nutritius, purior chylus, ut vitâ fruatur, omninò neceſſarius. At homini contingit & urget lethi neceſſitas: irrevocabile fatum! quod corrigere nefas. Ut verò quantùm potuit humano generi provideret, cuique homini quô ſoboleſceret modum natura conceſſit. Ità non ad aliquot tantùm annorum millia, ſed & in æternum uſque ſe perennat homo. Totus vitæ labor, ſpeciei propagationis cura: hinc omnibus inſitum immane generandi deſiderium. Cuidam ætati denegata poteſtas. Hæc nempè naturæ perfectæ opus & ſignum, cujus actus eſt coitus. Hujus cauſa nec-non & materies ſemen, alimenti ſecundæ coctionis reſiduum, ex omnibus corporis humani partibus deciduum, ad prolis generationem.

Ergo humorum præſtantior, Semen.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Joannes-Baptiſta Silva, Sereniſſimi Ducis Borbonii Medicus ordinarius.
M. Joannes-Baptiſta Martinenq.
M. Joannes-Henricus Imbert, è Regiâ Scientiarum Academiâ.

M. Franciſcus Pouſſe.
M. Thomas-Bernardus Bertrand.
M. Ægidius Adam.

M. Jacobus-Benignus Winſlow, Regiæ Scientiarum Academiæ ſocius.
M. Ludovicus Guillot.
M. Joannes-Baptiſta Fermelhuis, in Regiâ Artium Academiâ Socius honorarius.



Proponebat Pariſiis GEORGIUS-ANTONIUS TARON DE LOMMEAU, Bajocenſis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1720, à ſexta ad meridiem.

Typis J. QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.